Sed oremus Deum, ut ea scandala etiam deleat. His diebus fui Lipsiae. Nam Ioachimus Camerarius accersitus in Academiam Lipsicam. Iussus eum et Appiano scribere. Bene valete optime, pridie Cal: Septembris.

Philippus Melanthon

Viro optimo et egregia eruditione ac pietate praedito D. Nicolao Ansdorfio docenti Evangelium in Ecclesia Magdeburgensi amico suo.

S.D. Hic tabellarius Hieronymus Suerinensis profectus ad vos, ut quaerat in schola publica apud vos conditionem. Docuit antea in ludo Goltpergensi, et habuit domesticam paedagogiam. Est satis literatus, et bonis moribus. In nostra Academia degit annum. Nunc paupertas

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

cogit eum quaerere conditionem. Rogo igitur, si ei locus in schola vestra esse poterit, ut eum commendes iis qui solent conducere hypodidascalos, aut si quem tu conducturus es ad erudiendos nepotes tuos. Iudico hunc ad eam rem idoneum esse. Pollicetur diligentiam et fidem. Quare eum tibi commendo. In Italia scias multa oppida propter famem et arefactos fontes et desiccata flumina deseri. Venetiis expulsa sunt circiter quindecim millia hominum otiosorum, propter inopiam frumenti. De rebus Anglicis interim allatum est, Cromwellum esse suspensum, dissectum, et tandem crematum.

Deus compescat tyrannos omnes, et
gloriam filii sui Domini nostri Jesu Christi
defendat. Bene vale. Die Augusti 19.

D. Doctor recte valet, Philippus Melanthon
Vocatus est ad Pretsch, quo venit Dux Dresdensis
adducens sponsam Hans Lösers.

Viro optimo D. Nicolao Amsdorfio
docenti Evangelium in Ecclesia
Madeburgensi amico suo precipuo.

S. D. Ita extrahuntur negotia in conventibus
Ut certi nihil sciri possit ante exitum.
Ideo nihil respondi ad tuas literas, teque
rogo, Ut veniam des meo silentio.
Et ille conventus praecipue multa ha-
buit odiosa certamina, quae fortassis
audisti ex civibus tuis. Et coram me-
lius narrari possunt. Nunc novi nihil
habemus, nisi famam de morte Caniçis

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

Imperatoris. Hanc nunc adfirmant et
putant novas moras Caesari in Hispania
allaturam esse. Scribe ad Senatum Madebur-
gensem de pictore nostro Sebastiano, qui pro-
misit eis operam hoc tempore, sed impeditus febri.
Ideo rogat, ut differri illas operas sinant, et
interea ne conducant alium pictorem.
Homo probus est, et propter Evangelium
exulat. Rogo ut eum Senatui commendes.
Princeps Elector Dux Saxoniae diligenter la-
borat, ut Ecclesiae in ditione Ducis Henrici
bene constituantur, quas etiam tu quoque Deo
precibus tuis commendabis, Nam voluntates
hominum ibi sunt admodum variae.
Bene et feliciter vale. 6. Junij

Philippus Melanthon.